INDEX LECTIONUM

IN

REGIO LYCEO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XVI MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLX

INSTITUENDARUM

PEAECEDIT

MICHAELIS JOS. KRÜGER THEOL. D. ET PROF. P. O.

IN INITIUM LIBRI A FLAVIO JOSEPHO DE VITA SUA SCRIPTI

SCHOLION

SIVE

DE SACERDOTUM APUD JUDAEOS NOBILITATE

COMMENTATIO HISTORICO-ARCHAEOLOGICA

BRUNSBERGAE

TYPIS HEYNEANIS

REGII LYCEI HOSIANI H. T. RECTOR

MICH. JOS. KRÜGER

SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR EJUSQUE PROFESSOR PUPLICUS ORDINARIUS

REGII LYCEI HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S

Flavius Josephus initio libri, quem de vita sua scripsit, *'Εμοὶ δὲ*, inquit, *γένος ἐστὶν οὐκ ἄσημον, ἀλλ' ἐξ ἱερέων ἄνωθεν καταβεβηκός. ὥσπερ δὴ παρ' ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτω παρ' ἡμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος. ἐμοὶ δ' οὐ μόνον ἐξ ἱερέων ἐστὶ τὸ γένος, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίδος τῶν εἰκοσιτεσσάρων (πολλὴ δὲ κἂν τούτῳ διαφορά), καὶ τῶν ἐν ταύτῃ φυλῶν ἐκ τῆς ἀρίστης* (ed. Bekker).

De tempore suo sic scripsit Flavius Josephus. Nam ante exilium Babylonicum praeter sacerdotes saltem regiam domum praenobilem reputatam fuisse, non opus est multis demonstrare. Post illud exilium quidem, quum domus regia splendorem sensim amisisset, solorum utique sacerdotum nobilitas mansit. At quae ex Flavio Josepho transsumsimus, insunt iis quaedam accuratiore expositione indigentia, quo penitus intelligantur. Quapropter in tribus disputationis institutae capitibus quaesivimus: I. De prima eaque nobilissima omnium viginti quattuor ephemeriarum sacerdotalium. — II. De ephemeriis sacerdotum aliis alias praeeuntibus nobilitate. — III. De phyle nobilissima ephemeriae primae.

Caput I.

De prima eaque nobilissima omnium viginti quattuor ephemeriarum sacerdotalium.

1. David rex morti proximus sacerdotes omnes, qui suo tempore erant, cognationis respectu habito in 24 domos vel classes divisit, a Flavio Josepho *ἐφημερίδας*, in Novo Testamento *ἐφημερίας* vocatas (Luc. 1, 5. 8), quarum 16 erant filiorum Eleazar, 8 filiorum Ithamar. Quo ordine ephemeria quaeque ministerium hebdomadarium in templo aedificando haberet, sorte decisum est. Qua re factum est, ut non quo quaeque ephemeria erat nobilior, eo priorem locum haberet in ministrando; sed ephemeria Joiarib primum locum habebat, ephemeria autem Jedaia locum secundum, quamquam sacerdotes nobilissimi, scilicet Sadoq pontifex ejusque successores ad eam pertinebant (1 Chron. 24, 1—19; Ezr. 2, 36). Ephemeriam Joiarib, quae ante exilium omnium prima quidem erat in ministerio hebdomadario, nobilitate autem reliquas omnes non anteibat, Flavius Josephus certo non dixit esse suam, sed ex hoc ipso ejus loco concludendum est, post exilium ephemeriam omnium nobilissimam etiam primam fuisse in ministerio. Id quod quae sequuntur satis superque probabunt.

2. Cum Zerubabel longe non omnes ephemeriae sacerdotum in Judaeam redierunt, sed tantum 1) filii Jedaia, e quibus Josua pontifex erat, 2) filii Immer, 3) filii Paschur, quae secundum Neh. 11, 12 pars ephemeriae Malchia erat, 4) filii Charim (Ezr. 2, 36—39).

Ex his atque iis sacerdotibus, quos postea Ezra reduxit, denuo 24 ephemeriae formabantur, quarum primae numero pariter ac nobilitate Flavius Josephus sese membrum fuisse memoriae tradidit. Quod post exilium 24 ephemeriae sacerdotum erant, ejus rei testis antiquissimus Flavius Josephus est (Vit. 1 et Antiqq. VII. 14, 7). Consentit in hoc numero Talmud, quamquam, male neglectis sacerdotibus cum Ezra reversis, ex solis iis qui cum Zerubabel redierunt, post exilium 24 ephemerias formatas esse vult (Hieros. Taanith fol. 68, 1 apud Lightfoot Horae in Luc. 1, 5).

3. Quae ephemeriae sacerdotum cum Ezra reversae sint, e loco Ezr. 8, 1—3 intelligitur, ubi primo sacerdotum cum Ezra reversorum genus tantum, exinde Israelitarum et genus et numerus indicatur. Jam principes ephemeriarum cum Ezra reversarum (omissis signis interpunctoriis) hi sunt: „ex filiis Pinechas Gershom ex filiis Ithamar Daniel ex filiis David Chattush ex filiis Shecania.“ Nam quae sequuntur, ad Israelitas numeratos pertinent (conf. Ezr. 2, 3; 10, 25; Neh. 7, 8). Verba autem illa, nisi quis in conjecturas abire maluerit, interpungenda et interpretanda sunt in hunc modum: „Ex filiis Pinechas unus Gershom. Ex filiis Ithamar duo: scilicet Daniel ex filiis David et Chattush ex filiis Shecania.“ Shecania nomen erat unius ephemeriae Davidicae (1 Chron. 24, 11). Filii David *), quorum princeps Daniel erat, similiter pars alicujus ephemeriae Davidicae erant, ut filii Pashchur pars ephemeriae Davidicae Malchia. Quum igitur ex sacerdotibus cum Ezra reversis tres ephemeriae formatae sint, quarum prima capita fuerunt Gershom, Daniel et Chattush, 21 prima capita ephemeriarum ex sacerdotibus cum Zerubabel reversis formatarum enumerantur Neh. 12, 1—7, si ex 22 nominibus ibi recensitis v. 2 nomen Chattush deletur. Id enim antiquitus ibi locum non habuisse catalogus Neh. 12, 12—21 exhibitus testatur, in quo post Malluch omisso Chattush v. 14 Shecania sequitur; praeterea versio LXX Chattush ibi ponendum non agnoscens, non solum v. 14, sed etiam v. 3 post Malluch habet Shecania. Superstitione quadam ducti unum nomen ibi intrusisse videntur, nimirum ut quot numerabant libros sacros, tot sacerdotum ephemeriae essent **).

4. Non a Nehemiae manu profecta, sed post Alexandri Magni demum aetatem addita esse, quae Neh. 12, 10—23 leguntur, vel ex eo perspicitur, quod vv. 11 et 22 mentio fit Jaddua pontificis, quem Alexandri Magni tempore fuisse constat (Jos. Antiqq. XI. 8, 4). Excluso hoc additamento loci contextus hic est: Viri 21 enumerati v. 1—7, qui erant principes ephemeriarum totidem sacerdotalium earum, quarum consanguinei (Achehem v. 7; conf. Gen. 14, 16) cum Levitis vv. 8. 9 recensitis in diebus Josua pontificis fuerant, (vel quae ex ephemeriis quattuor sacerdotalibus cum Zerubabel reversis formatae erant), et principes Levitarum vv. 24. 25 enumerati, — utrique hi principes erant in diebus Joiaqim, Josuae filii successorisque, et in diebus Nehemiae; erat autem cum iis, ut recte LXX verterunt, et Ezra sacerdos scribaque (v. 26). Ezra enim sub Joiaqim pontifice in Judaeam veniens (conf. Jos. Antiqq. XI. 5, 5), novas 24 ephemerias sacerdotum formavit, et Nehemia 13 annis post adventum Ezrae sub Eliashib pontifice in Judaeam profectus (Ezr. 7, 7; Neh. 2, 1; 3, 1), non solum Ezram ipsum (Neh. 12, 36), et qui Ezra duce redierant, Chattush et Danielem, sed etiam plurimos ex hisce 21 primis capitibus novarum

---

*) Vide ne filii David isti idem genus sint, ac filii David, qui David regis tempore erant Kohanim (2 Sam. 8, 18 conf. 1 Chron. 18, 17).

**) Josephus c. Apion I. 8 — Relandi Antiquitates sacrae veterum Hebraeorum part. II cap. 8 §. 1.

ephemeriarum reperit superstites (Neh. 10, 1—8). Non Joiaqimi, vix Eliashibi, immo vero Joiadae demum tempori convenit catalogus Neh. 12, 12—21 intrusus, quum ne unum quidem jam habeat eorum, qui Ezrae tempore ephemeriis sacerdotum primi praefuerunt *).

5. Ephemeriarum sacerdotalium ab Ezra formatarum prima eaque nobilissima certo ea erat, cujus primum caput fuit Seraia, in principibus novarum ephemeriarum e sacerdotibus cum Zerubabel reversis formatarum primum locum habens (Neh. 12, 1), cujus a Sadoq pontifice descendentis genus nobilissimum erat (Neh. 11, 11). Hujus ipsius ephemeriae fuit Flavius Josephus.

Caput II.

De ephemeriis sacerdotum aliis alias praeeuntibus nobilitate.

1. Ipsum nomen sacerdotum, hebraice Kohanim, modo latioris modo strictioris significationis est. Quod Israelitae cum reliquis in orbe terrarum populis comparati soli erant gens sancta sive dei veri cultui specialiter destinata, Kohanim vocantur (Exod. 19, 6). In tribubus Israelitarum tribus Levi sanctior erat reliquis, quapropter Levitae appellantur Kohanim, in quibus tamen sacerdotes et Levitae proprie dicti distinguuntur (Deut. 18, 1. 3. 6; conf. Num. 16, 9. 10). In omnibus tribubus Israel nulla domus domo Aaronis sanctior erat (1 Sam. 2, 27. 28; Deut. 18, 5), unde cum domibus Israelitarum omnibus reliquis, etiam Leviticis, comparata sola domus Aaron erat sacerdotalis (1 Chron. 15, 4; conf. 23, 2). Et quamquam omnes erant filii Aaron, quos David rex in 24 ephemerias divisit (1 Chron. 24, 1), erat tamen, quando filii Aaron sensu strictiore dicti a reliquis sacerdotibus distinguebantur. Id quod post Israelitas in duo regna divisos accidit.

2. Quum sacerdotes Levitaeque omnes in tribubus regni Israel domicilia habentes ad regnum Juda transirent (2 Chron. 11, 13. 14), reditibus sacerdotum et Levitarum e regno Israel fere nullis provenientibus (2 Chron. 11, 16. 17; Tob. 1, 4 seqq.), primitiae et decimae regni Juda toti tribui Levi alendae non sufficiebant. Tunc factum est, quod versio Vulgata contra textum hebraicum et graecum ad David regis aetatem minus recte refert, ut sub

---

*) Chattush et Daniel Neh. 10, 5. 7 et Ezr. 8, 2 commemorati certe iidem sunt. Id quod contra eos monemus, si qui forte Chattush Ezr. 8, 2 obvium cum eo confundere volent, qui 1 Chron. 3, 22 commemoratur.

Malimus scribere, non Chattush, sed Malchia filium Chattush etiamtum mortui praefuisse uni ephemeriae, quando Nehemia in Judaeam advenit. At quoniam res est periculi plena, conjecturis uti, volentes abstinuimus. Quum autem operam satis multam impenderimus catalogis nominum Neh. 10, 1—8 et Neh. 12, 1—7 exhibitorum inter se conciliandis, ne fructus laboris nostri totus pereat, conjecturam nostram in usum virorum ejusmodi rerum curiosorum hic adjungimus.

Quod ad catalogum Neh. 10, 1—8 positum attinet, vix dubium est, quin cum Nehemia foedus signarint omnes, qui eo tempore 24 ephemeriis sacerdotum praeerant, et 3 quidem principes ephemeriarum cum Ezra reversarum reliquis 21 immixti. Ab ordine Neh. 12, 1—7 posito passim recedentes, sacerdotes ephemeriarum principes foedus signasse videntur hi: 1. Sedeqia filius Seraia, 2. Azaria filius Jeremia, 3. Pashchur filius Amaria, 4. Malchia filius Chattush, 5. Shebania vel Shecania, 6. Malluch, 7. Charim per transpositionem litterarum Neh. 12, 2 dictus Rechum, 8. Meremoth, 9. Obadia graece Ἀβδία, aut filius Iddo graece Ἀδαδαΐ (Neh. 12, 16), aut is ipse scribae vitio mutatus, 10. Daniel, 11. Ginthon, 12. Meshullam, qui fuit filius Ezra sub Joiada pontifice etiam vivus (Neh. 12, 13), 13. Baruch, quem suspicamur fuisse filium Gershom, 14. Abia, 15. Mijamin, 16. Maazia, per scribae vitium pro Maadia aut Moadia (Neh. 12, 5. 17), 17. Bilga, 18. Shemaia. Ultima sex loca occuparunt ii, qui et Neh. 12, 6. 7 ultima loca habent: Joiarib, Jedaia, Sallu, Amoq, Chilqia, Jedaia — aut, si qui eorum Nehemiae tempore in vivis jam non erant, horum filii.

Quem primo loco posuimus, Sedeqiam filium Seraia adhuc servant LXX, qui in tribus sequentibus filii vocabulum omittentes ex singulis faciunt binos, tum delentes sex ultimos 21 tantum nomina retinent, scilicet ut hic locus eundem nominum numerum habeat ac locus Neh. 12, 12—21. Textus masorethicus, qui Chattush addito Neh. 12, 1—7 nomina 22 exhibet, etiam Neh. 10, 1—8 ut totidem nomina essent facillimo negotio assecutus est, ex uno Sedeqia filio Seraia duos faciens, scilicet Sedeqia et Seraia.

manu filiorum Aaron sensu strictiore dictorum sacerdotes reliqui, in parte aliqua officiorum sacerdotalium permanentes, partem quandam officiorum Leviticorum in se susciperent (1 Chron. 23, 28. 29. 30. Vulg.), quo, partem aliquam redituum sacerdotalium accipere pergentes, et redituum Leviticorum comparticipes fierent. Quaecunque enim cives regni Juda pro sustentandis domibus sacerdotalibus ex lege contribuebant, ea etiamtum sacerdotibus distributa sunt, ita tamen, ut filii Aaron sive sacerdotes sensu strictiore dicti, qui tunc soli intrantes domum Domini in Sancto templi agenda in se susceperant (conf. Ezech. 40, 45. 46; Luc. 1, 9), inde a puero trium annorum partes acciperent; reliqui autem sacerdotes, munera sacerdotalia tantum in atrio obeunda cum parte quadam officiorum Leviticorum exsequentes ideoque et Levitarum nomine vocati, inde a juvene viginti annorum (2 Chron. 31, 14—18). Quae Levitis olim datae erant decimae, earum partes aequales jam sacerdotes isti ordinis inferioris pariter ac Levitae accipiebant (ibid. v. 19) quos decimarum a populo acceptarum partem decimam sacerdotibus ordinis superioris sive filiis Aaron sensu strictiore dictis persolvisse legi consentaneum est *). In iis quae sequuntur patescet, quattuor tantum ephemerias sacerdotales sive sextam omnium partem eos fuisse, qui tunc filii Aaron sive sacerdotes sensu strictiore vocati sint. Jam quum et regnum Juda sextam tribuum partem complecteretur, hi post discessum regni Israel decimarum e decimis Leviticis segregatarum tantum acceperunt quantum antea, et aliorum modo redituum sacerdotalium jacturam non ita magnam fecerunt. Sacerdotibus reliquis sacerdotalium quidem et Leviticorum redituum partes tribuebantur; at multum aberat, ut tanta rerum abundantia gauderent, quanta ante discessum regni Israel. Levitae vero, acceptis 12 tribuum decimis olim praedivites, quum jam 2 tribuum decimas cum plurimis numero sacerdotibus ordinis inferioris communes haberent, pauperrimi evaserunt: unde liber Deuteronomii, in eam formam, quam nunc habet, post Salomonis aetatem redactus, cum reliquis hominibus pauperibus etiam Levitas piae benevolentiae Israelitarum saepius recommendat (Deut. 12, 12. 18. 19; 14, 27; 16, 11. 14; 26, 11. 12. 13). Sequitur autem, ut sacerdotes sive filii Aaron sensu strictiore dicti reliquos sacerdotes aliquanto superarint nobilitate; nam in populo sancto dei ii certo eminebant nobilitate, quorum genus sanctius agnoscebatur (conf. Philo de nobilitate §. 1).

3. Post exilium major nobilitas quarundam ephemeriarum sacerdotalium etiam magis elucescebat. Sacerdotibus genere omnibus, si modo genus sacerdotale probare poterant, per prima saltem post exilium saecula jus quidem fuisse videtur comedendi cibos sanctissimos, i. e. quibus vesci solis sacerdotibus masculis intra fines templi licitum erat (Ezr. 2, 61—63), at officia sacerdotalia agenda non omnes ephemeriae obibant. Nam proxime ante exilium cum membris ephemeriarum Jedaia, Joiarib et Jachin, Hierosolymis habitantes officiis sacerdotalibus fungebantur partes ephemeriarum Malchia et Immer, omnes numero 1760 (1 Chron. 9,

*) Aperte 2 Chron. 31, 14—18 sermo est de dividendis reditibus sacerdotum: nam Qore Levitae etiam ciborum sanctissimorum divisio demandata erat, a solis sacerdotibus masculis intra fines templi comedendorum. Ab eo missi alii in urbibus sacerdotum partes redituum dabant tam filiis Aaron sive sacerdotibus superioris ordinis, quam Levitis sive sacerdotibus inferioris ordinis. Sicut Qore genere Levita sacerdotibus utriusque ordinis, ita viri domus Aaron Levitis utriusque ordinis, tam sacerdotibus inferioris ordinis eo quoque nomine vocatis, quam Levitis proprie dictis partes tribuebant (v. 19), quo fraudis suspicio amoveretur (conf. Neh. 13, 13). Sacerdotes autem inferiores medium locum inter sacerdotes filios Aaron sensu strictiore dictos et Levitas genere habentes sacerdotibus pariter ac Levitis accensentur, et tam sacerdotalium quam Leviticorum redituum partes accipiunt. — Sicut Ezechiel propheta in templo Salomoneo duos sacerdotum ordines noverat, quorum tantum superior Sanctum ingrediebatur, ita etiam in templo eo, quod ecstasi raptus vidit, duos ejusmodi sacerdotum ordines ministrantes facit.

10—13); post exilium vero, quando omnia, quantum id potuit fieri, in statum pristinum restituta sunt, licet ex ephemeria Malchia 242, et ex ephemeria Immer 128 sacerdotes genere sub duce proprio Hierosolymis habitarent (Neh. 11, 12—14), tamen ex sacerdotibus genere Hierosolymis post exilium habitantibus munera sacerdotalia in templo exsecuti sunt nonnisi membra ephemeriarum Jedaia, Ben-Joiarib *) et Jachin, omnes numero 822 (Neh. 11, 10—12). Patet ephemerias Jedaia, Ben-Joiarib et Jachin in sacerdotibus nobilioribus sive filiis Aaron sensu strictiore dictis fuisse, ephemerias Malchia et Immer in minus nobilibus. Unam praeterea novimus ephemeriam nobiliorem, quae post exilium muneribus sacerdotalibus functa sit, scilicet ephemeriam Abia, cujus erat Zacharias, pater Joannis Baptistae (Luc. 1, 5).

4. Praeter quattuor ephemerias Jedaia, Ben-Joiarib, Jachin et Abia, quarum nomina Neh. 11, 10 et Luc. 1, 5 posita sunt, post exilium nullis officia sacerdotalia concessa erant. Docet enim Flavius Josephus (c. Apion. II. 7 sub fin.), fuisse tribus quattuor sacerdotum ad sacrificia venientium. Quamquam ejus loci textus graecus deperiit, dubium tamen non est, quin auctor scripserit φυλαὶ τέσσαρες ἱερέων, quum vox latina tribus ubique respondeat graecae φυλῇ. Nec minus liquet, Josephum hoc loco vocasse φυλὴν, quam ἐφημερίδα initio libri de vita sua scripti nominet. Ephemeriae enim, cognationis respectu habito formatae, phylae majores erant, quarum partes quoque si phylae vocantur, minores eae accipiendae sunt. Sicut omnium 24 ephemeriarum, ita et harum quattuor prima numero ephemeria Jedaia nobilissima erat, ex qua pontifices Sadoqidae a tempore Salomonis regis erant, et post exilium esse pergebant. Praeter Zachariae, patris Joannis Baptistae, ephemeriam Abia celebre nomen sortita est ephemeria Joiarib vel Ben-Joiarib, ex qua pontifices regesque Asamonaei originem habebant (1 Macc. 2, 1; 14, 29). Ex ephemeria Jachin, plenius Eliachin, hellenistice Ἐλιαχεὶμ, pro quo apud Flavium Josephum (Bell. IV. 3, 8) aut per scribae vitium, aut per commutationem sonuum liquidorum legitur Ἐνιαχεὶμ, pontifex ultimus erat, belli tempore sorte electus **).

5. At qua re effectum est, ut hae quattuor ephemeriae nobiliores reputatae sint reliquis? — Sicut hominum Judaeorum pars gloriandi ansam inde habebat, quod per David regem ab Abraham patre descendit (Matth. 1, 1), ita sacerdotum aliqui, in quibus erat Josua pontifex, eam ob rem generis celebritate gaudebant, quod erant filii Pinechas filii Aaron (3 Ezr. 5, 5). Pinechas autem celeberrimum (Num. 25, 11—13; Sir. 45, 28—30; 1 Macc. 2, 54) quattuor hae ephemeriae patrem habebant. Nam unam ephemeriam filios Pinechas complectentem cum capite Gershom Ezra in Judaeam reduxit (Ezr. 8, 1. 2), et quaenam ex his quattuor ea fuerit, infra patescet. Tres reliquae formatae sunt ex ephemeria Davidica Jedaia cum Zerubabel reversa, de cujus pontifices Sadoqidas in se habentis origine

---

*) Cur Neh. 11, 10 ephemeria Joiarib vocetur Ben-Joiarib, ejus rei ratio infra proponetur. Praevie id monemus, quod Simon pontifex 1 Macc. 14, 29 filius filiorum Joiarib dicitur.

**) Sicut nomen Joiarib graece exprimitur aut Ἰωαρὶβ (1 Macc. 2, 1), aut Ἰαρὶβ abjecta prima syllaba deum notante (1 Macc. 14, 29), ita vice versa nomen Jaqim codex Alex. versionis LXX commutat cum Ἐλιακεὶμ, praefixa syllaba El similiter deum notante (1 Chron. 24, 12). Quod ad nomen Jachin attinet, codices versionis LXX ejus loco habent Ἀχὶμ aut Ἰαχεὶν (1 Chron. 24, 17), Ἀχεὶν aut Ἰαχεὶμ (Gen. 46, 10), Ἰαχοὺμ aut Ἰαχούν (1 Reg. 7, 21). Flavium Josephum pro eo posuisse Ἐλιαχεὶν, non admodum verisimile est: sed aliquanto propius ad veritatem accessisse videbimur, si eum scripsisse statuerimus Ἐλιαχεὶμ, quum et nomen Joiachin LXX reddant modo Ἰωαχὶμ (2 Reg. 24, 6. 8. 12. 15; 25, 27), modo cum scribae vitio Ἰωακὶμ (Jer. 52, 31), Ἰωακεὶμ (Ezech. 1, 2), Ἰωακὶμ aut Ἰωακεὶμ (3 Ezr. 1, 41); at Ἰωαχὶν aut Ἰωαχεὶν nullibi. At sicut graecum ψαλτήριον Chaldaeus pronunciat psanterin, ita nomen Eliachin Flavii Josephi tempore Judaei Hebraistae fortasse pronunciabant Eniachin, Hellenistae Ἐνιαχείμ. Confer Gesenii Lex. Man. sub litt. Lamed.

a Pinechas repetenda jam non lis est (Ezr. 2, 36; 3 Ezr. 5, 5; 1 Chron. 6, 4. 8); e stipite enim Jedaia nomen vetus retinente duo rami prodierunt, quibus nomina duarum ephemeriarum indita sunt Pinechasidarum in Judaeam non reversorum. Jam non admittitur dubitatio, num et ante exilium quattuor ephemeriae Pinechasidarum eorundem nominum fuerint, quarum reliquis longe nobiliorum membra filii Aaron sensu strictiore vocati sint; si enim plures paucioresve fuissent ante exilium, nihil obstitit, quominus post exilium plures paucioresve formarentur.

6. Quattuor ephemeriae Pinechasidarum, sive quattuor phylae majores sacerdotum post exilium exclusis reliquis ad sacrificia venientium, quarum una erat Jachin, propterea quod nobilitate reliquas aliquanto superabant, vocabantur et *φυλαὶ ἀρχιερατικαί* (Jos. Bell. IV. 3, 8). Unde jam non mirum erit, quod post exilium sacerdos quisque officia sacerdotalia peragens et *ἀρχιερεὺς* vocatur. Quum testes ad unum omnes Luc. 5, 14 exhibeant „ostende te *τῷ ἱερεῖ*“, in loco parallelo Marc. 1, 44 versiones Vulgata et Gothica cum paucis graecis codicibus lectionem vere genuinam *τῷ ἀρχιερεῖ* retinuerunt, quae scilicet in reliquis periit, quod in ea erratum esse scribae putarunt propter hujus ipsius rei inscitiam. Auctor epistolae ad Hebraeos datae, quum locus ex Ps. 110, 4 ad verbum transsumtus habeat *ἱερεὺς κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ*, ita eo utitur, ac si haberet *ἀρχιερεὺς* (Hebr. 5, 6. 10), et eos *ἀρχιερέων* nomine vocat, quos rectius sacerdotes nominari debere versio Vulgata existimat (Hebr. 7, 27. 28). Quodsi vero sacerdos quisque munera sacerdotalia obiens vocabatur et *ἀρχιερεὺς*, consequebatur, ut sine pleonasmi vitio pontifex maximus et *ἀρχιερεὺς μέγας* nominaretur (1 Macc. 13, 42; Hebr. 4, 14).

7. Dum Pinechasidae soli post exilium officia sacerdotalia exsequuntur, reliquarum 20 ephemeriarum sacerdotibus generis quidem sacerdotalis memoria servabatur (aliter enim Pinechasidae non potuissent dici *ἀρχιερεῖς*), at cum officio et nomine jura quoque Levitarum habebant usque ad Nehemiam omnia, deinde deminuta usque ad Joannem Hyrcanum, post eum pauca pauci numero in templo ministrantes.

a. Quoniam post discessum regni Israel sors Levitarum vere misera facta erat, perpauci eorum in Judaeam redierunt. Zerubabel sacerdotum fere 4300 reducens, e quibus postea Ezra 21 ephemerias formavit (Ezr. 2, 36—39), Levitas 360 tantum secum habuit (Ezr. 2, 40—42; Neh. 7, 43—46). Cum Ezra sacerdotum tanta copia rediit, quanta 3 ephemeriis formandis suffecit (Ezr. 8, 1—3), Levitae autem cum eo revertentes numerum quadragenarium vix assecuti sunt (Ezr. 8, 15. 18. 19). Sacerdotum igitur reversorum circa 5000 erant, Levitae 400 tantum redierunt. Qui ex hisce paucis Levitis genere officia cantorum et janitorum in templo explebant (Neh. 12, 24. 25), ii ad Nehemiae usque aetatem praeter stipendia quotidiana sumptibus publicis data nihil recipiebant; decimae enim per idem tempus segregabantur Levitis a munere dictis, sive 20 ephemeriis sacerdotum inferiorum, qui earum partem decimam persolvebant filiis Aaron sive Pinechasidis (Neh. 11, 47). Eidem tempori convenit, quod textus graecus libri Tobiae a versione Vulgata recedens minus recte ante exilium factum esse refert, scilicet primitias datas esse *τοῖς ἱερεῦσι, τοῖς υἱοῖς Ἀαρὼν πρὸς τὸ θυσιαστήριον*, et *πάντων τῶν γεννημάτων τὴν δεκάτην* tributam esse *τοῖς υἱοῖς Λευὶ τοῖς θεραπεύουσιν εἰς Ἱερουσαλήμ* (Tob. 1, 7).

b. Quamquam usque ad Israelitas in duo regna divisos Levitis novem partes decimarum contingebant, et una tantum sacerdotibus, dubium tamen non est, quin sacerdos quisque longe majorem mensuram reportarit, quam Levita quisque: nam quando tres tantum sacerdotes

existebant, Levitarum masculorum etiam 22,000 numerabantur (Num. 3, 4. 39). Ad litteram igitur magis, quam ad mentem legis distributio decimarum ante Nehemiam erat, qua Levita quisque a munere dictus fere duplam mensuram cujusque filii Aaron sensu strictiore dicti accipiebat: nam ad 20 ephemerias novem partes, et ad 4 una tantum pars spectabat. Quamobrem sub Nehemia in publico populi conventu decretum est, ut decimas ad litteram legis Levitis genere dandas possideret „ha-Kohen ben Aharon im ha-Levi", i. e. sacerdos, filius Aaron sensu strictiore dictus pariter ac Levita a munere dictus *), ea tamen conditione, ut sacerdotes filii Aaron sensu strictiore dicti acceptas suas decimarum partes retinerent integras, sacerdotes vero Levitae a munere dicti decimam partem earum, quas accepissent, ad thesaurum templi deportarent (Neh. 10, 39). Ex hac enim decima parte, quam loco primitiarum suarum (Num. 18, 25—28) novi hi Levitae jam non sacerdotibus, sed templo persolverunt, ipsi cum cantoribus et janitoribus stipendia quotidiana acceperunt, quando in templo ministrabant (Neh. 10, 40; 12, 47; 13, 5; conf. Deut. 18, 6—8; similiter ex primitiis Israelitarum ad thesaurum templi deportatis stipendia quotidiana data esse videntur sacerdotibus ministrantibus (Neh. 10, 40; 13, 5); ita ut rerum copiam haberent οἱ ἱερεῖς καὶ οἱ λειτουργοὶ **) καὶ οἱ πυλωροὶ καὶ οἱ ᾄδοντες, quando officiis suis fungebantur (Neh. 10, 40). Secundum locos modo allatos (Neh. 10, 40; 12, 47; 13, 5) οἱ ἱερεῖς hi sunt filii Aaron sensu strictiore dicti sive Pinechasidae, οἱ πυλωροὶ et οἱ ᾄδοντες sunt Levitae genere, οἱ λειτουργοὶ autem sunt sacerdotes inferiores sive Levitae a munere dicti. Sicut enim sacerdotes sunt λειτουργοῦντες τῷ Κυρίῳ (Joel 2, 17), ita primum Levitae genere, et post eos Levitae a munere dicti λειτουργοὶ sacerdotum erant in templo ministrantium (conf. 2 Chron. 23, 6).

c. Quae sub Nehemia statuta erant, initio quidem religiose observabantur (Neh. 12, 44 seqq.), at Nehemia iterum in Judaeam veniens neglecta ea esse resciit. Nam non solum Levitis a munere dictis, cantoribusque (et janitoribus) quotidiana stipendia data non erant (Neh. 13, 10. 11), sed etiam in decimis ad horrea deferendis indeque juste distribuendis peccatum fuisse apparet (Neh. 13, 12. 13; conf. 12, 44). Post Nehemiam consuetudo invaluisse videtur, qua possessores agrorum non in horrea comportabant decimas publice dispertiendas, sed dabant cui volebant, donec circumvagantes Levitae a munere dicti verbis verberibusque homines ad dandas sibi decimas compellerent. Tunc Joannes Hyrcanus excitatores et percussores istos cessare jubens ***), ut deinceps nonnisi Pinechasidis decimae darentur edixit. Hi soli enim sunt οἱ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες sive sacerdotes actu, quibus exinde jus decimarum accipiendarum erat (Hebr. 7, 5). Nam qui re sua utitur, eam sumere dicitur; et sicut Jer. 23, 31 quidam sumserunt linguam suam et protulerunt vaticinium, ita post exilium soli Pinechasidae sumebant sacerdotium sibi innatum, sive utebantur eo in officiis sacerdotalibus exsequendis. Ἔχοντες vel λαβόντες τὴν ἱερατείαν

*) Teste versione LXX Neh. 10, 39 genuina lectio est „im ha-Levi". Textus masorethicus voci Levi Mem litteram adjecit, quam ex mutilata voce sequente bemaasar translulit.

**) Neh. 10, 40 versio Vulgata eosdem enumerat, quos LXX, alio tamen ordine „et sacerdotes, et cantores, et janitores, et ministri". Textus masorethicus, quoniam v. 37 obviam fiunt sacerdotes ministrantes, etiam v. 40 omisso Wau copulativo ex sacerdotibus et ministris fecit sacerdotes ministrantes.

***) Mishna Maaser sheni 5, 15 (et Sota 9, 10). — Ex loco Hebr. 7, 5 discitur, ultimis templi secundi temporibus in decimis accipiendis consuetudinem fuisse longe diversam ab ea, quae Nehemiae tempore sancita est. Mutationis factae auctorem Joannem Hyrcanum fuisse constat. — Conf. Geiger, Urschrift und Uebersetzungen der Bibel pag. 110.

omnes omnium ephemeriarum sacerdotes erant, aliter enim nec vocari poterant sacerdotes: at λαμβάνων τὴν ἱερατείαν non potest dici quisquam praeter eum, qui aut modo initiatur sacerdotio — quae res inaudita est apud Hebraeos post Aaronem ejusque filios semel sacerdotio initiatos — aut jure sacerdotii olim quoquo modo accepti utitur. Pinechasidae igitur erant sacerdotes ii, quibus referente Flavio Josepho jus decimarum a populo accipiendarum erat (Antiqq. XX. 8, 8; 9, 2).

d. Post Joannem Hyrcanum sacerdotes Levitae a munere dicti quum jam ex decimis annuis nihil reportarent, tantum non omnes ad negotia quaelibet agenda abibant, quibus se suosque sustentarent, et a munere Levitarum cessantes nomine quoque eorum amplius non vocabantur. Cavens enim Joannes Hyrcanus, ne, retento nomine Levitarum in posterum abutentes, in detrimentum advenarum, orphanorum et viduarum decimas pauperum tertio et sexto anno septennii cujusque dandas sibi potissimum extorquerent, abrogavit confessionem decimarum, quoniam in ea de decimis pauperum Levitae quoque datis sermo est (Maaser sheni 5, 15; Deut. 26, 12 seqq.). Ex 20 ephemeriis sive phylis majoribus sacerdotum inferiorum pauci tantum in unam phylen congregati non solum τῶν λειτουργῶν officia in templo exsequi pergebant, sed etiam in cantorum janitorumque loca, ante a Levitis genere occupata successerunt, solo scilicet stipendio quotidiano contenti. Hi quum essent genere sacerdotes, ab officio jam soli vocabantur Levitae. Nam Flavio Josepho referente, τῶν Λευιτῶν (φυλὴ δ' ἐστιν αὕτη) ὅσοιπερ ἦσαν ὑμνῳδοὶ, quorum ars plurimi aestimabatur (Ezr. 2, 65), ab Agrippa II rege ex decreto synedrii jus ferendae vestis sacerdotalis receperunt, quod petierant. Qui si non fuissent sacerdotes genere, certo tulissent repulsam. Idem rex μέρει τινὶ τῆς φυλῆς λειτουργοῦντι κατὰ τὸ ἱερὸν permisit ediscere cantica, scilicet quo ejusdem honoris ac cantores participes fierent. Ejusdem autem phyles erant et janitores; nam si praeter cantores οἱ λειτουργοὶ tantum ad eam pertinuissent, Flavius Josephus hos vocasset τὸ λοιπὸν τῆς φυλῆς, non vero μέρος τι τῆς φυλῆς (Antiqq. XX. 9, 6). Sub Joanne Hyrcano sacerdotes inferiores etiam jus comedendi cibos sanctissimos amisisse videntur, quod ultimis templi secundi temporibus soli Pinechasidae habebant, tam revera ministrantes, quam propter corporis vitium a ministrando exclusi (Bell. V. 5, 7).

8. Flavius Josephus sacerdotes ἀσήμους genere et ἀγεννεῖς commemorat, quibus opponit τὰ γένη, ἐξ ὧν κατὰ διαδοχὰς οἱ ἀρχιερεῖς (i. e. pontifices synedrii) ἀπεδείκνυντο (Bell. IV. 3, 6). Secundum eundem Herodes Magnus cavens ne quem τῶν ἐπισήμων pontificem maximum constitueret, e Babylonia accersito Ananelo cuidam summum pontificatum concessit, qui ἀρχιερατικοῦ γένους quidem sive Pinechasida erat, at ἱερεὺς τῶν ἀσημοτέρων (Antiqq. XV. 2, 4; 3, 1). Quarum denominationum ratio haec est. Quamquam sacerdos quisque cum Israelitis reliquis comparatus εὐγενὴς, διάσημος γένους ἕνεκα, γένους λαμπροῦ erat (Vit. 1; Antiqq. XIV. 16, 4), in ipsis tamen sacerdotibus nobilitatis tanta differentia fuit, ut inter eos facta comparatione Pinechasidae soli εὐγενεῖς, reliqui ab actibus sacerdotalibus post exilium prorsus exclusi ἀγεννεῖς vocarentur. Porro in Pinechasidis internoscebantur ἐπίσημοι et ἄσημοι, atque horum alteri erant ἄσημοι simpliciter dicti, alteri ἀσημότεροι. Jam quum nova ephemeria Jedaia reliquas omnes aliquanto superarit nobilitate (Vit. 1), hanc fuisse optimo jure nostro contendimus, quae τοὺς ἐπισήμους complexa sit sive τὰ γένη, e quibus per successionem pontifices synedrii designabantur. Cum his cognatione proxime conjunctae duae illae ephemeriae Pinechasidarum erant, quae ex ephemeria Davidica Jedaia cum

Zerubabel reversa aliis nominibus insignitae prodierant: ἄσημοι hi quidem, γνώριμοι tamen erant. Simon Boëthi filius, ab Herode Magno constitutus pontifex maximus, ἄσημος genere quidem, at ἱερεὺς ἐν τοῖς γνωρίμοις, ex altera harum ephemeriarum erat (Antiqq. XV. 9, 3; conf. XV. 2, 4 et XX. 10, 1), Ananelus autem ad eam ephemeriam Pinechasidarum pertinebat, quam cum capite Gershom Ezra in Judaeam reduxit, et quae τοὺς ἀσημοτέρους complexa sit necesse est.

9. Si qui Pinechasidae ἐπίσημοι sunt, certe Sadoqidae sunt, nam Salomonis tempore summus pontificatus a domo Ithamar in Pinechasi genus ad Sadoq transiit (Antiqq. VIII. 1, 3). In Davidica ephemeria Jedaia cum aliis sacerdotibus Pinechasidis domus Sadoq erat (1 Chron. 12, 27; 2 Chron. 31, 10; Ezr. 2, 36). Postquam autem ex eadem ephemeria Davidica cum Zerubabel reversa duae novae ephemeriae aliis nominibus insignitae segregatae sunt, in nova ephemeria Jedaia soli Sadoqidae ἐπίσημοι vocati remanebant. Quumque Pinechasidae omnes ἀρχιερατικοῦ γένους esse dicerentur, Sadoqidae, e quibus secundum Flavium Josephum per successionem pontifices synedrii creabantur, ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ sensu strictiore erant (Act. 4, 6), atque ἀρχιερεῖς genere sensu strictiore appellabantur. Nam quum inde a Joannis Hyrcani aetate decimae Pinechasidis ἀρχιερέων nomine simpliciter dictis dandae essent, ultimis templi secundi annis οἱ ἀρχιερεῖς sensu strictiore dicti non minus impudenter facientes quam ii, quos olim Joannes Hyrcanus compescuit, sibi solis decimas arrogarunt: quod quum sub pontifice Ismael Phabi filio anno 61 p. Ch. n. aliqui eorum Hierosolymis facere incepissent, sub pontifice Jesu Damnaei filio anno 64 p. Ch. n. jam ab omnibus ubique tanta cum inhumanitate factum est, ut ii sacerdotes Pinechasidae, qui eousque ab opibus conquirendis religiose abstinuerant, fame perirent (Antiqq. XX. 8, 8; 9, 2).

Caput III.

De phyle nobilissima ephemeriae primae.

1. Qui attentus legerit catalogum primorum capitum ephemeriarum ex sacerdotibus cum Zerubabel reversis formatarum (Neh. 12, 1—7), procul dubio in id offendet, quod reliquis nominibus ἀσυνδέτως positis soli nomini Joiarib Wau copulativum praefixum est (v. 6). Antiquitus autem, anteaquam nomen Chattush ei catalogo insertum est, etiam post nomen Malluch Wau copulativo adhibito legebatur u-Shecania (ibid. v. 2. 3). Nam qui ad catalogum hunc fecit eum, qui ibidem vv. 12—21 intrusus est, is non solum Wau copulativum ante nomen Joiarib positum religiose conservavit (v. 19), sed etiam medium inter nomina Malluch et Shecania aliud Wau legebat, quod ad nomen Malluch pertinere male existimans scripsit Malluchu (v. 14). Antiquitus igitur series principum 21 ephemeriarum, ex sacerdotibus cum Zerubabel reversis ab Ezra formatarum, bis abrupta semel atque iterum continuabatur, et (quoniam ultimum totius seriei nomen ἀσυνδέτως positum est,) a nomine Shecania secunda, a nomine Joiarib tertia pars ejus seriei inchoabatur. Cujus rei ratio alia non potest excogitari, nisi quod inde discendum est, e catalogo omnium 24 primorum principum ephemeriarum auctorem consulto post nomina Malluch et Shemaia omisisse nomina trium principum ephemeriarum cum Ezra reversarum jam Ezr. 8, 2 posita, ut memoriae proderet, qui 21 ephemeriis sacerdotum cum Zerubabel reversorum primi praefuissent: atque ex tribus principibus Gershom, Daniel et Chattush post nomina Malluch

et Shemaia altero loco unum, altero duos ponendos esse ei, qui omnium 24 primorum principum ephemeriarum catalogum integrum habere velit. Bis mille annis abhinc inter Malluch et Shecania insertus est Chattush, nec nobis opus est ei quaerere locum alium. Quodsi vero inter Chattush et Shecania etiam Gershom, et ante Joiarib Danielem posuerimus, quattuor hexadas principum ephemeriarum habebimus, quarum singularum agmen ducat Pinechasida. Sunt autem hi principes omnium 24 ephemeriarum primi:

1. Seraia, qui primae omniumque nobilissimae ephemeriae Jedaia praeerat. — 2. Jeremia, 3. Ezra, 4. Amaria, 5. Malluch, 6. *Chattush*.

7. *Gershom*, qui, quum ephemeriae Abia et Joiarib alios haberent principes, ephemeriae Jachin cum Ezra reversae praefuerit necesse est. — 8. Shecania, per mutationem litterarum similium et Shebania dictus (v. 14). — 9. Charim per transpositionem litterarum et Rechum dictus (v. 3 et 15). — 10. Meremoth et Merajoth dictus (v. 15). — 11. Iddo, 12. Ginthon.

13. Abia, a nova hujus nominis ephemeria ex parte ephemeriae Davidicae Jedaia formata, cui primus praeerat, sic cognominatus. — 14. Mijamin, 15. Maadia, 16. Bilga, 17. Shemaia, 18. *Daniel*.

19. Joiarib, a nova hujus nominis ephemeria ex alia parte ephemeriae Davidicae Jedaia formata, cujus primum caput erat, sic cognominatus. — 20. Jedaia, 21. Sallu, 22. Amoq, 23. Chilqia, 24. Jedaia.

2. Catalogus iste noster primorum principum omnium 24 ephemeriarum sacerdotalium ab Ezra formatarum e nominibus Neh. 12, 1—7 et Ezr. 8, 1. 2 positis concinnatus quum fundamento vix non satis solido superstructus ab ipsa veritate nihil recedere videatur, praeterquam quod opportunus adest ad respondendum quaestioni in hujus capitis fronte indicatae, etiam id praestat, quod ex eo facillime explicatur, cur nova ephemeria Joiarib Neh. 11, 10 vocetur Ben-Joiarib. Cum Zerubabel enim e Pinechasidis redierat ephemeria Davidica Jedaia, cum Ezra ex ephemeria Davidica Jachin tot sacerdotes Pinechasidae, quot novae ephemeriae Jachin formandae suffecerunt. Jedaia et Jachin iidem quodammodo erant et ante et post exilium; qui autem cum iis post exilium Hierosolymis habitabat Joiarib, non unus idemque is erat atque Joiarib ante exilium ibi habitans, sed in hujus Joiarib senioris non reversi et quasi mortui locum suffectus est Joiarib quidam junior, vel filius Joiarib, ex parte aliqua ephemeriae Davidicae Jedaia formatus. Propter id ipsum autem, quod novus hic Joiarib pars omnium nobilissimae ephemeriae Davidicae Jedaia erat, nobilior erat veteri, et libenter se non esse eundem atque istum, sed nobiliorem, ipso nomine Ben-Joiarib profitebatur, quo utebatur praeter nomen Joiarib. Et Simon pontifex cum emphasi vocatur ὁ υἱὸς τῶν υἱῶν Ἰαρίβ (1 Macc. 14, 29).

3. Licet tempora non permitterent, ut sacerdotes omnes in Judaeam reversi officiis sacerdotalibus fungerentur, Ezra tamen eos omnes in 24 ephemerias divisit, ne cui genus nobile in oblivionem veniret, quo ad actus sacerdotales exsequendos natus erat. Quum enim sacerdotum tanta copia rediisset, quanto numero alendo primitiae et decimae vix sufficerent — si hominibus cum Zerubabel reversis (Ezr. 2, 64) ii adduntur, quos Ezra reduxit, in quibus tres ephemeriae sacerdotum erant (Ezr. 8, 1 seqq.), nonus quisque homo sacerdos genere fuisse videtur — peropportunum accidit, quod Levitae paucissimi reversi

sunt. Urgebat nimirum dira necessitas non minus, quam lucri faciendi hominibus innata cupido, ut sacerdotes ordinis inferioris non sua, sed Levitarum officia obirent, quo Levitarum loco decimas acciperent, utque Pinechasidis tam sua, quam reliquorum omnium sacerdotum munera exsequentibus reditus sacerdotum omnes adjudicarentur, id quod ad Nehemiae usque aetatem fuisse supra probavimus. Quum igitur 20 ephemeriae sacerdotum minus nobilium locum Levitarum occupassent, reliquum erat, ut ephemeria quaeque Pinechasidarum praeter suum etiam quinque ephemeriarum in catalogo nostro ipsi subjunctarum officium sacerdotale expleret: unde ephemeria sive phyle major quaeque Pinechasidarum in sex phylas minores divisa est, quarum prima quaeque suae ipsius ephemeriae nomine in templo ministrabat, reliquae nomine quinque ephemeriarum in catalogo nostro eam sequentium. Qui v. g. primae in ephemeria Abia phyles membrum erat, is dicebatur sacerdotio fungi ἐν τῇ τάξει ephemeriae suae Abia (Luc. 1, 8); qui ad quintam aut sextam phylen ejus ipsius ephemeriae Abia pertinebat, in templo ministrabat ἐν τῇ τάξει ejus ephemeriae, cui ab Ezra formatae primus Shemaia praefuit aut Daniel. Cujus autem ephemeriae nomine phyle quaeque in templo ministrabat, ejus nomen accepit: nam Simon quidam, qui ante Asamonaeorum aetatem προστάτης τοῦ ἱεροῦ ideoque sacerdos Sadoqida fuit, ἐκ τῆς Βενιαμὶν (i. e. Minjamin vel Mijamin, 1 Chron. 24, 9) φυλῆς erat (2 Macc. 3, 4; conf. 1 Chron. 9, 11; 2 Chron. 31, 13; Neh. 11, 11), et sacerdotum duorum τῶν ἐπισήμων, i. e. Sadoqidarum, in ignes templi sub Tito conflagrati se praecipitantium alter Meir filius Bilga, alter Joseph filius Delaia erat (Bell. VI. 5, 1; 1 Chron. 24, 14 et 18) *). Ordo quattuor ephemeriarum Pinechasidarum tam suo, quam reliquarum omnium nomine in templo ministrantium sorte stabilitus est: aliter enim ephemeria Jachin nobilitate ultima omnium nobilissimam ephemeriam Jedaia ministrantem excipere non poterat. Sorte similiter decisum est, quarum quinarum ephemeriarum ministerium sacerdotale ephemeriis singulis Pinechasidarum praeter suum obeundum esset; nam nova ephemeria Jedaia Sadoqidas complectens, cui primum sortienti locus primus obtigerat, certo sortiens secundo traxit ephemerias Mijamin, Bilga, Delaia, quae ante exilium sexto, quinto decimo et vigesimo tertio loco positae fuerant, aliasque duas, quarum nomina hucusque nobis non innotuerunt. **)

---

*) Sicut Hebraei bari et mari, Berodach et Merodach promiscue scribunt, ita pro Mijamin vel Minjamin habet Binjamin Syrus (Neh. 12, 5. 17; 2 Chron. 31, 15), Βενιαμὶν LXX (2 Chron. 31, 15 et Neh. 12, 17 in cod. Alex.). Similiter Ἰωαρὶμ pro Joiarib, Χαρὶβ pro Charim scribitur (1 Chron. 24, 7. 8). Vide praeterea Geiger Urschrift und Uebersetzungen der Bibel pag. 221 Not. 2. — Menelaus pontifex, ad primam nobilissimamque phylen Sadoqidarum ἐν τῇ τάξει ephemeriae Jedaia ministrantem pertinens, Simonis hujus ad aliam phylen Sadoqidarum Mijamin vocatam pertinentis ἀδελφὸς, i. e. consanguineus erat (2 Macc. 4, 23), sicut Maria filia David συγγενὶς erat filiae Aaron Elisabeth (Luc. 1, 5. 32. 36). Melius tamen hoc τοῦ ἀδελφοῦ vocabulum ita fortasse explicatur, ut Menelaum hominem ejusdem farinae perindeque detestandum ac Simonem designet, quo sensu et Lysimachus quidam frater Menelai dici videtur (2 Macc. 4, 29); nam Simon II pontifex tres tantum filios habuit, qui post eum pontifices facti sunt, Oniam III, Jesum et Jasonem dictum, nec non Oniam alium, scilicet ex alia uxore procreatum, qui trium natu minimus Menelaus dici maluit (Antiqq. XII. 5, 1). — Quem commemorat Flavius Josephus Λευίαν τινὰ τῶν ἐπισήμων regio Asamonaeorum sanguine natum (Bell. IV. 3, 4), is certo Sadoqida erat a matre Asamonaeis consanguineus, sicut et ipse Flavius Josephus (Vit. 1).

**) Secundum Ezr. 2, 36—39 cum Zerubabel in Judaeam redierunt ephemeriae Jedaia, Immer, Pashchur et Charim. Talmud hierosolymitanum ubi de novis 24 ephemeriis formatis agit (Taanith fol. 68, 1), post primam Jedaia ultimam Charim ponit. Qua in re ipsius veritatis vestigium cognoscimus, quum post nobilissimam nobilitate ultimam ephemeriam Pinechasidarum post exilium in templo ministrasse satis probaverimus.

4. In sex phylis primae omniumque nobilissimae ephemeriae Jedaia ab Ezra formatae secundum Flavium Josephum una erat φυλὴ ἀρίστη, i. e. τοὺς ἀρίστους sive nobilissimos in se continebat hujus ipsius ephemeriae solos Sadoqidas complectentis. In Sadoqidis certe nobilissima erat domus Josua pontificis (Ezr. 2, 36). At non solam Josua pontificis propaginem haec phyle habuit, sed sextam Sadoqidarum partem Ezra congregavit in unam hanc phylen, praeter domum Josua domos fratrum ejus (3 Ezr. 3, 56) aliasque domos continentem cum domo Josua in linea obliqua consanguineas, quibus omnibus descendentibus a certo pontifice maximo eorum, qui proxime ante exilium fuerant, jus succedendi in summum pontificatum erat, si quando domus Josua prole mascula careret: nam quum γένη plura, i. e. phylae sex Sadoqidarum essent, e quibus pontifices synedrii legitime designabantur, hi τὸ γένος unum erant, καϑ' ὃ pontificum maximorum legitima successio erat (Bell. IV. 3, 6. 7). Hi sunt οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις ἀρχιερεῖς (Bell. VII. 10, 2), quo nomine genus eorum effertur super Sadoqidas reliquos, τοὺς ἐπισήμους τῶν ἀπὸ τῆς χώρας ἱερέων (3 Macc. 6, 1). Iidem cum Sadoqidis reliquis comparati ἀρχιερεῖς genere sensu strictissimo, item comparati cum Pinechasidis reliquis filii Aaron sensu strictissimo vocabantur: id quod mox probabimus.

Πάτριόν ἐστι, Flavius Josephus scribit (Antiqq. XX. 10, 1), μηδένα τοῦ ϑεοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην λαμβάνειν ἢ τὸν ἐξ αἵματος τοῦ Ἀαρῶνος. Et oblique perstringens pontifices Asamonaeos addit: ἑτέρου δὲ γένους οὐδ' ἂν βασιλεὺς ὢν τύχῃ τεύξεται τῆς ἀρχιερωσύνης. Postquam enim eo auctore ante exilium decem et octo e domo Sadoq summum pontificatum habuerunt, post exilium domus Josua illos in linea recta excipiens quindecim pontifices maximos dedit. Qui primus (πρῶτος) eam regulam inverterit, Antiochum Eupatorem fuisse narrat, intrudentem rejecto legitimo Menelai successore Onia pontificem Ἰάκιμον, et Ἄλκιμον nominatum, γένους μὲν τοῦ Ἀαρῶνος, οὐκ ὄντα δὲ τῆς οἰκίας ταὐτῆς *) — iterum autem (πάλιν δὲ) contra legem patriam Asamonaeos constituisse Jonathan pontificem. Alcimus iste ἐκ τῆς γενεᾶς quidem non erat eorum, qui proxime ante eum pontifices maximi fuerant, atque eo pontifice maximo constituto pontificatus a domo Josua eousque eum habente εἰς ἕτερον οἶκον transiit (Antiqq. XII. 9, 7), at minime ἑτέρου γένους a successione pontificum maximorum exclusi, immo vero γένους τοῦ Ἀαρῶνος erat, et cui summus pontificatus προγονικὴ δόξα esset (2 Macc. 14, 7). Hic ἄνϑρωπος ἱερεὺς ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀαρὼν (1 Macc. 7, 14), qui cum domo Josua ad unum id γένος pertinebat, καϑ' ὃ pontificum maximorum successio erat (Bell. IV. 3, 7), sive ad τὸ τῶν χριστῶν ἱερέων γένος (2 Macc. 1, 10), si prole mascula domus Josua non deficiente tantummodo cum contumelia legis patriae pontifex maximus fieri potuit, immensum certe Flavio Josepho judice scelus Asamonaeorum erat Jonathan pontificem constituentium, qui ne Sadoqida quidem, nedum filius Aaron sensu strictissimo dictus, sed ἑτέρου γένους erat, et cui etiam regnum forte adepto ad summum pontificatum aditus ex sacrata consuetudine patria non pateret. — Pontifices Asamonaei cum reliquis Pinechasidis comparati sacerdotes ἄσημοι genere quidem, at saltem regia dignitate illustres erant; quos vero Herodes Magnus pontifices constituit, Flavius Josephus l. c. conqueri pergit, quod ii, excepto uno Aristobulo regio Asamonaeorum sanguine orto, nihil nisi meri sacerdotes ἄσημοι fuerint (ἄσημοι καὶ μόνον ἐξ ἱερέων ὄντες). Nam Herodes Magnus tantum abfuit, ut alicui filiorum Aaron sensu strictissimo dictorum summum pontificatum

*) Scribendum est τῆς οἰκίας ταὐτῆς, pro quo male ταύτης in editionibus exhibetur.

concederet, ut caveret, ne quem Sadoqidam admitteret (*τινὰ τῶν ἐπισήμων*, Antiqq. XV. 2, 4). Praeterea auctori nostro l. c. dolendum erat, quod (non *ταὐτὰ* quidem, sed) *ὅμοια τῷ Ἡρώδῃ* in pontificibus constituendis fecit Archelaus *καὶ οἱ μετὰ τοῦτον τὴν ἀρχὴν Ῥωμαῖοι καὶ Ἰουδαῖοι**) *παραλαβόντες* — i. e. Archelaus (Antiqq. XVII. 13, 1), et post eum ex Romanis Quirinus praeses Syriae (XVIII. 2, 1. 2) procuratoresque Judaeae Valerius Gratus (XVIII. 2, 2) et Vitellius (XVIII. 4, 3; 5, 3), nec non ex Judaeis reges Agrippa I (XIX.· 6, 2. 4; 8, 1), Herodes Chalcidius (XX. 1, 3; 5, 2) et Agrippa II (XX. 8, 8. 11; 9, 1. 4. 7) cum *ἀσήμοις* ad summum pontificatum *ἐπισήμους* quoque promoverunt quidem, in quibus Ananus cum quinque filiis et Caipha genero erat, quos *γένους ἀρχιερατικοῦ* sensu strictiore fuisse constat (Antiqq. XX. 9, 1; Joan. 18, 13; Act. 4, 6): ad phylen autem filiorum Aaron sensu strictissimo dictorum sub iis summus pontificatus non rediit. — Quid? quod pontifex ultimus ex ephemeria Jachin sorte electus non solum *οὐκ ἐξ ἀρχιερέων*, i. e. non *γένους τοῦ Ἀαρῶνος* erat, *καθ' ὃ* pontificum maximorum successio ex lege patria esse debebat, sed prae rusticitate etiam ignoravit, quid summus pontificatus esset (Bell. IV. 3, 7. 8)?

Quoniam Flavii Josephi tempore unaquaeque in quattuor ephemeriis Pinechasidarum hominum plus quam quinque milia haberet (c. Apion. II. 7 sub fin.), ad phylen filiorum Aaron sensu strictissimo dictorum circa 900 homines pertinuisse videntur. Praeter domum Josua pontificis, Alcimum et Flavium Josephum, matrem Joannis Baptistae hujus phyles fuisse novimus (Luc. 1, 5), sed et Ezra scriba ab ultimo templi primi pontifice Seraia descendens (2 Reg. 25, 18; 1 Chron. 6, 12. 14; Ezr. 7, 1. 2) et *ἀρχιερεὺς* vocatus (3 Ezr. 9, 40) procul dubio phyles ejusdem erat.

Quum sacerdos quisque filius Aaron esset, sensu strictiore filii Aaron Pinechasidae vocabantur, sensu strictissimo ii, qui pertinebant ad nobilissimam phylen novae ephemeriae Jedaia Sadoqidas complectentis. *Ἀρχιερεῖς* genere simpliciter dicebantur Pinechasidae, sensu strictiore Sadoqidae omnes, sensu strictissimo phyle nobilissima Sadoqidarum. Erant tamen et *ἀρχιερεῖς* munere, ut pontifex maximus et pontifices synedrii: de quibus quae statuenda sint, quum ad rem nunc nobis propositam non attineant, alia data opportunitate Vobiscum, commilitones humanissimi, communicabimus. Valete!

Dabamus Brunsbergae in Lyceo Hosiano mense Martio anni MDCCCLX.

*) Pro *καὶ Ἰουδαῖοι* editiones male exhibent *τῶν Ἰουδαίων*.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGOGORUM.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Historiam ecclesiasticam inde a Constantini Magni tempore enarrabit excepto die Lunae quinquies per hebdomadem hora XI—XII.

II. De antiquitatibus ecclesiasticis disserere perget die Lunae hora XI—XII et diebus Martis et Veneris hora VI—VII.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O.

I. Introductionem in libros sacros V. et N. T. dabit nec non praecepta artis criticae et hermeneuticae biblicae docebit horis binis per hebdomadem definiendis.

II. Prophetas minores interpretabitur diebus Martis, Jovis et Saturni hora IX—X.

III. Evangelium secundum Joannem explicabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora IX—X.

IV. S. Pauli epistolas pastorales explicabit horis binis per hebdomadem definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Apologetices partem reliquam tradet diebus Lunae et Jovis hora II—III.

II. De ecclesiae catholicae sacramentis et de rebus post mortem futuris disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora X—XI.

III. Disputationes de rebus philosophicis theologiam spectantibus instituet die Saturni hora X—XI.

Lic. Ant. Pohlmann, P. P. E. Des.

Studiorum litterariorum causa Romam profectus hoc semestri lectiones non habebit.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. L. Feldt, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Trigonometriam geographicam, i. e. trigonometriam planam, sphaericam et sphaeroidicam ex libro „v. Sniadecki's sphaerische Trigonometrie übersetzt von L. Feldt“ tradet diebus Lunae et Jovis horâ X—XI.

II. Theoriam generalem linearum et superficierum curvarum docebit diebus Lunae et Jovis hora II—III.

III. De chronologia et de calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris hora X—XI.

IV. De observationibus et instrumentis meteorologicis aget diebus Martis et Veneris hora II—III.

Dr. Max. Trütschel, P. P. O. Des.

Mala valetudine impeditus hoc semestri lectiones non habebit.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O.

I. Aeschyli Agamemnonem interpretabitur aut Sophoclis Antigonam ter per hebdomadem hora IX—X.

II. Ciceronis de natura deorum libros explicabit aut Minucii Felicis Octavium bis per hebdomadem horis definiendis.

III. De rebus mythologicis disseret bis per hebdomadem hora IX—X.

IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Joan. M. Watterich, P. P. E.

I. Investiturae quod vocant certamen explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora V—VI.

II. Historiae veteris Asiaticae capita selecta tractabit bis per hebdomadem horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Feldt,** diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica quum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter concedetur.